





STHOMÆ AQUINATIS
—
OPUSCULA
PHILOSOPHICA
ET THEOLOGICA



2

BX890
T5
v.2
1886

008



1080015598

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

A. M. D. G.

SANCTI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SELECTA OPUSCULA

ACCEDUNT

QUAESTIONES QUODLIBETALES

9
L. 50
9

SANCTI THOMAE AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI

OPUSCULA PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA

AD USUM STUDIOSAE JUVENTUTIS SELECTA
ET JUXTA ORDINEM RERUM QVAE IN SCHOLIS TRACTANTUR
NUNC PRIMUM DIGESTA ET EXACTA

ACCEDUNT
QVAESTIONES QUODLIBETALES

EDITO ACCURATE RECOGNITA
ET NONNULLIS QVAESTIONIBUS AC SCROLLIS AUCTA

A MICHAELE DE MARIA S. I.
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
PHILOSOPHIAE PROFESSORE

VOLUMEN SECUNDUM
CONTINENS OPUSCULUM DE REGIMINE PRINCIPUM
ET XII QUODLIBETA



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

TIFERNI TIBERINI
(Città di Castello)
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA S. LAPPI
1886

44732

EX 890

75

v. 2
1886



PROPRIETÀ LETTERARIA

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



BIBLIOTECA NACIONAL DE ESPAÑA
MADRID

85388

OPUSCULUM XXXI.

DE REGIMINE PRINCIPUM AD REGEM CYPRI

(Edit. Rom. XX.)

DE AUTHENTIA HUIUS OPUSCULI

CRITICA DISQUISITIO

Opusculum "de Regimine Principum ad Regem Cypri", quod in Romana Editione vicesimum numeratur, fuisse ab Aquinato exaratum omnes veteres ad unum testantur, notatis etiam verbis, ex quibus exordia capit.

1.^o Ut a vetustioribus incipiamus, placet in primis citare Ptolomaeum Lucensem S. Thomae discipulum, qui in sua Hist. Eccl. (Lib. 23, Cap. 13) ait "Item tractatus de Regimine Principum, qui sic incipit: Cogitanti mihi, quid offerrem: Quem librum scripsit ad Regem Cypri."

2.^o Bernardus Guidonis meminit "Tractatus de Regimine Principum ad Regem Cypri, qui incipit: Cogitanti mihi quid offerrem Regiae estu- tudini dignum."

3.^o Apud Bartholomaeum Logothetam et Nicolaum Trivetum inter Angelici Doctoris Opera recensetur, "Tractatus de Regno ad Regem Cypri."

4.^o Dignus est qui prae ceteris nominetur Joannes de Columna coe- taneus S. Thomae, qui testatur Aquinatem scripsisse, "De Regimine Regum ad Regem Cypri: quod quidem opus minime complevit!"

5.^o Auctoribus nuper memoratis consentiunt Pignonus, Lucioviensis Vallisotetanus, S. Antoninus, Natalis Alexander et alii complures.

Haec veterum scriptorum testimonia ita perspicua sunt atque explo- rata, ut nemini fas sit addubitare tractatum "de Regimine Principum", qui alio nomine "de Rege et Regno", inscribi solet, inter germana S. Thomae opera adnumerandum esse.

Nihilominus non leves exoriantur hac in re difficultates, quae in causa fuere quamobrem nonnulli Auctores memoratum Opusculum a S. Thoma simpliciter, illudque inter suppositicia amandare moliti sint. Cum enim integer tractatus quatuor complectatur libros; in tertio et quarto talia sunt congesta historica sphalmata, nemo sine magna injuria affirmabit, fuisse ab Aquinato prolata, quae, ut recte notavit Petrus Pellican, Satius ergo visum est quibusdam totum opus alteri injuria affirmavit.

Huic conjecturae robustius accedit argumentum, si adverteatur amico, Auctorem nonnulla meminisse, quae plures annos post mortem S. Thomae evenere. Etenim Lib. 3, Cap. 20 electionem memorat Rodolphi Imperatoris sub finem anni 1273 et ejus mortem an. 1291: itemque electionem Adalphi Nassavie Comitis an. 1292 et ejus occisionem ab Alberto Austriae Duce an. 1298. Haec autem facta sua aetate accidisse proficitur libri Auctor, qui sano diversus a S. Thoma sit oportet, cum Aquinas mortuus sit an. 1274.

Ut haec critica quaestio rite solvatur et veterum documentorum, quae opus Aquinati tribuunt, auctoritas vindicetur, affirmandum est xandro, quibus Bernardus de Rubens et inter recentiores Jourdain (*La Philosophie de S. Thomas* Lib. 1, Cap. 6) adstantur, tractatum de Regimine Principum esse in duo opuscula tribuendum, quorum primum

008055

duos priores libros, postremum duos alios continet. Secundum opusculum procul dubio ab Aquinate abjudicandum est, quemadmodum argumenta mox recitata perspicue conflat. Primum vero duos complectens priores libros S. Thomae tribuendum est, si quaedam libri secundi excipiuntur capita. Hoc testantur praecleara antiquitatis documenta ex Codicibus MSS. hausta, quae citabimus inferius. Sic viator utrinque et error eorum qui imanes libros adseribunt S. Thomae, uti est Jo. Petrus Nezarinus, et eorum injuriosus censura qui totum opus Auctoris ab Aquinate diverso tribuunt, uti Jo. Ambrosius Barbavara et in primis Casimirus Oudinus, qui docuit (De Scrip. Eccl. T. 3) opus de Regimine Principum ad Aegidium Romanum seu de Columna pertinere. Qua in re vir sane eruditus fuit egregie falsus, cum apud omnes constet Aegidium exarasse utique librum de Regimine Principum, sed ab hoc Aquinatis tractatu plane diversum. Exstant quippe variae editiones libri Aegidii, qui incipit "Clamat Politicorum sententia omnes principatus non esse aequaliter ditarios."

Decidendum ergo cum probatissimis operum S. Thomae Nomenclatoribus lucubrationem ad Regem Cyprum ad Aquinatem pertinere, eandemque ab ipso non fuisse absolutam; quemadmodum disertis verbis testatur Joannes de Columna. Hujus tractatus ubi testis est eruditus Richardus plura habebantur exemplaria MSS. quae huc controversiae non mediocre afferunt lucem. In codice MSS. Florentino Mediceo haec habentur "Liber de Rege et Regno inceptus a Ven. Doctoris S. Thoma de Aquino Ordinis Praedicatorum, postea completus a Fr. Ptolomaeo de Lucha ejusdem Ordinis, qui postea fuit episcopus Torcolanus"

In exemplari MSS. quod italico versum pertinuit ad Alexandrum VII. P. M. post verba "Opportunum est igitur in conversatione humana modicum delectationis pro condimento habere, ut animus hominis recreetur," quae verba inveniuntur Lib. 2, Cap. 4, legitur in margine "Qui finitice secundo il Doto Tommaso;" et in fine libri quarti monito haec addita fuerat "Qui compie il quarto libro del Re e del Regno cominciato dal Venerabile Dottor S. Tommaso d'Aquino," postea compiuto da Fr. Tolomeo da Lucca del medesimo Ordine che fu Vescovo di Torcello. — Haec exponuntur accurate a Paulo Frigerio in vita S. Thomae italico conscripta Lib. 4, Cap. 10, ubi narrat se recepisse ab Alexandro VII. S. P. vetus exemplar MSS. Tractatus "de Regimine Principum," ubi adnotationes manatae reperiebantur. Accedit Codex MSS. Barber. XI. 142 pertinetis ad saeculum decimum quartum, qui Operi hunc praepouit titulum "Tractatus de Rege et Regno S. Thomae de Aquino," Opus absolvit Capite sexto libri secundi.

Verum caput est, et singularis maxime pretii in hac dirimenda controversia vetustissimus Codex MSS. Vatic. latin., in quo notatur etiam nomen Regis, pro quo conscriptus fuit tractatus. Codex pertinet ad finem saeculi decimi tertii, et hujus S. Thomae operis sic manant "Incipit Liber Fratris Thomae de Henricum Regem Cyprum." Notata dignissimum est, opus perducit ad ea usque verba "Optimum est igitur in conversatione humana modicum delectationis quasi pro condimento habere, ut animus hominum recreetur," quae reperitur Lib. 2, Cap. 4, et post ea nihil ulterius addi. —

Quam ad rem, ut brevi in conspectu ponantur, quae a nobis disputata sunt, affirmandum merito putamus 1^o. tractatum "de Regimine Principum," qui sub nomine S. Thomae circumferitur, esse in duo Opuscula tribuendum, quorum quodlibet duobus conflatur libris. 2^o. Angelicum Doctorem esse Auctorem primi Opusculi, quod non absolvit, sed usque ad Cap. 4. secundi libri dumtaxat perduxit 3^o. Ptolomaeum Lucensem S. Doctoris discipulum illud absolvisse ex ipsis forsitan scriptis a Magistro suo relictis. 4^o. Duos posteriores libros, nimirum tertium et quartum

opus plano diversum conficere, quod incerti est Auctoris, cum Ptolomaeo Lucensi non tribui posse videtur: plura enim in ipsis asseruntur, quae adversa fronte pugnant cum istis, quae Ptolomaeus in sua Historia Ecclesiastica tradidit.

ARGUMENTUM OPERIS

Cogitanti mihi quid offerrem regiae celsitudini dignum, meaeque professioni congruum et officio, id occurrit potissimum offerendum, ut regi librum de regno scriberem: in quo et regni originem, et ea quae ad regis officium pertinent, secundum Scripturae divinae auctoritatem, philosophorum dogmata, et exempla laudatorum principum diligenter depromerem, juxta ingenii proprii facultatem: principium, progressum, consummationem operis ex illius expectans auxilio, qui est rex regum et Dominus dominantium, per quem reges regnant, Deus, magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

*Quod necesse est homines simul viventes
ab aliquo diligenter regi.*

Principium autem intentionis nostrae hinc sumere oportet ut quid nomine regis intelligendum sit, exponatur. In omnibus autem quae ad finem aliquem ordinantur, in quibus contingit sic et aliter procedere, opus est aliquo dirigente, per quod directe debitum perveniat ad finem. Non enim navis, quam secundum diversorum ventorum impulsu in diversa moveri contingit, ad destinatum finem perveniret, nisi per gubernatoris industriam dirigeretur ad portum. Hominis autem est aliquis finis, ad quem tota vita ejus et actio ordinatur, cum sit agens per intellectum, cuius est manifeste propter finem operari. Contingit autem diversimode homines ad finem intentum procedere, quod ipsa diversitas humanorum studiorum et actionum declarat. Indiget igitur homo aliquo dirigente ad finem. Est autem unicuique hominum naturaliter insitum rationis lumen, quo in suis actibus dirigatur ad finem. Et si quidem homini conveniret singulariter vivere, sicut multis animalium, nullo alio dirigente indigeret ad finem, sed ipse sibi unusquisque esset rex sub Deo summo rege, inquantum per lumen rationis divinitus datum sibi, in suis actibus se ipsum dirigeret. Naturale autem est homini